

Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 99

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Rvodolfus dei clementia rex. Notum sit omnibus natis et nascendis, qualiter coniugali amore attractus primatumque regni mei consilio ammonitus dono dilectissimae sponsae meae Irmengardi Aquis villam sedem regalem cum colonis eiusdem villae nostrae proprietatis, sicut ab eis inhabitatur et terra ab eis excolitur, et do ei Anassiacum fiscum meum indominicatum cum appendiciis suis et servis et ancillis, et dono ei abbatiam Montis Iovensis sancti Petri integriter, et do ei fiscum meum Rouda cum appendiciis suis et servis et ancillis, et do ei Font regale castellum cum appendiciis suis et talem partem villae Evonant, qualem Heinricus ibi visus est habere cum servis et ancillis et omnibus appendiciis, et dono ei Novum Castellum regalissimam sedem cum servis et ancillis et omnibus appendiciis, et dono ei Auerniacum cum servis et ancillis et omnibus appendiciis, et dono ei Arinis cum omnibus pertinentiis suis et servis et ancillis. Habeat ergo supra nominatas res sub potestate habendi donandi vendendi vel quicquid ipsi placet inde faciendi. Ut hec a nobis facta credantur et a posteris nostris non infrangantur, manu nostra roboravimus et sigillo nostro iussimus insigniri.

Signum domni Rvodolfi (MF.) regis nobillimi.

Paldolfus cancellarius recognovi. (SI. 3)

Data VIII KL. maias, luna XVIIma, anno ab incarnatione domini MXI regnante domno Ruodolfo rege anno XVIIIImo; actum Aquis.